

tumeliæque plena temere effudit, neque audire illum voluit submisse ut patruo responderet se comparantem, atque a conspectu suo indignissime repulit. Adolescens contumeliæ tam insignem Alidosio acceptam referens, magnum facinus facere in animum induxit suum. itaque a patruî cubiculo discedens cum septem aut octo, quos habebat secum, ex suis familiaribus, ad diversorium Alidosianum pedibus recta contendit: atque ipsum domo egressum media in via frequenti comitatu, septumque militibus plurimis, & equitibus armatis plus sexaginta, una cum sororis suæ viro Guido Vaina illorum equitum præfecto se ad Julium conferentem conspicatus, ubi Alidosii vicinus fuit, quasi eum alloquuturus a viæ latere ad illum inter arma omnium declinavit, mulæque ephippiis, qua is vectus incedebat, leva manu admota, educto dextera gladio hominem transverberavit. quod factum ejus comites intuentes, gladiis eductis & ipsi idem fecerunt. ita illum pluribus confossum vulneribus, sui a fræno milites mulæ detractum in eam domum, cujus ante fores erant, humeris intulerunt. qui quidem paulo post se ipse sæpius accusans egit animam, turpis & flagitiosæ vitæ vir, cui nulla fides, nulla religio, nihil tutum, nihil pudicum, nihil unquam sanctum fuit. Imperator gladio recondito, eo quo venerat passu pacate suum ad hospitem rediens, infessis equis, egressusque oppido, ad Metaurense se suos retulit.

Paulus legatus cum iis quas secum habuit copiis, cumque illis quæ cladis initio per diversa ab hostibus & invia montium fuga capta se se illis eripuerant, atque ad eum venerant, in Cesenatium vicum ad mare se contulit, ut in naves militibus & equitibus impositis in fines Patavinos se atque illos sisteret. Quod ubi Patres cognoverunt, navigia plus centum ex urbe & suburbanis & Fossa Clodia, triremesque septem majores e navalibus eductas paucis pro re administrantibus ad vicum Cesenatium miserunt ea de causa. Dum vero hæc procuran-

1511
VIII. kal.
jun. Alido-
sius Card. a
Francisco-
Maria Fer-
retio inter-
ficatur.